

K.F. 130

1) Torinus, Gotofratii

notab 21 - 18)

Johannis C. Fraxinei Gothani

Poëtae coronati:

ELEGIA

De origine, excellentia & fructibus S. Con-  
jugii: cum luculentâ paraphrasi psal-  
mi cxxviii.

IN HONOREM

SEBASTIANI ROE-  
TINGERI I. V. D. EQVESTRIS

ORDINIS IN SVEVIA ADVOCATI,  
& Reipub. antiquissimæ ad Aras Flavianas  
Syndici, viri clarissimi & di-  
fertissimi:

5

Kf. 130

MARIAE, CHRISTO-  
PHORI HERDESIANI, PRI-

MARII QVONDAM IN REPVB. NO-  
riburgensi Germaniæ oculo Iurisconsulti,  
relictæ filiæ, virginis lectif-  
simæ:

NUPTIAS CELEBRANTIVM

4. Idib. Octob. A. C. N. M D XCI.

Nortlingæ.



NORIBERGÆ,

In officina typographica Gerlachiana.



EPIHALAMION,  
Sebastiano Röttingero I. V. Doctori:

¶

Mariæ Herdesianæ virginis lectiſ-  
ſimæ, novis conjugibus sacrum.

**N**uper ut accessi loca culta binominis Istri;  
Celsa Palatini quā nitet aula ducis.  
Et data ſpectandi FRIDERICI hymeneia festa  
Copia, Tyrigetum qui moderatur onus.  
Votum erat hoc unum: coalescant ſtemma in unum;  
Saxonis eveniant mollia fata toro.  
Nam quantum generi letatur honore Philippus,  
Tantum ovat & ſoceri ſponsus amicitia.  
Vivite felices, dicebam, in ſædere lecti,  
Cypridis & licita carpite delicias.  
Prodeat Heroum, quæ laudem extendat avorum  
Progenies, genti par in honore ſuæ.  
Vivat in his virtus, & avorum gloria vivat,  
Quæque facit diuos candida relligio.  
Surgat in his pietas majorum, & plena reportet  
Munera, perpetuam cœlo habitura domum.  
Talia dum mecum rapidum meditabar ad Istrum,  
Puraque fingebam carmina mentis opus.  
Ecce novi quiddam apportat mihi fama per auras:  
Gratum erat: exſiluit mens mea lœtiis:  
Nempe Röttingero pactam de more pueram,  
Norica, Pegnassi quā lavit arval liquor.  
Nunquid vera mihi memoras? vel ſomnia? certè  
Detinet absentem Cæſaris aula domo.  
Et gravis eloquio patrie commissa tuetur,  
Omnis in hoc cives demeruisse labor.

A 2

Quam

Quàm bene res ecedit : quis fortunatior illo,  
Cujus in amplexus Marja decòra venit ?  
Ipse diu in sterili vixit sine fœnore tecto :  
Defuit egregio lecta marita viro.  
Quæ fessum studiis, & grandi mole laborum  
Exciperet roseâ fronte, lepore , joco.  
Osculaque insereret pugnantibus humida linguis,  
Oscula quæ vincant nectar & Ambrosiam.  
Gratulor oblatâ de virgine , cuius in ore  
Purpureo mirâ sessitat arte nitor.  
Grator, idem repeto, de conjugè gratulor inquam,  
Auguror & magni numinis istud opus.  
Auctor enim Deus est : & ab hoc proficiscitur ordo :  
Seminum unde suum cetera regna trahunt.  
Quid sine conjugio res publica? nonne Chiméra,  
Cyclopum stabulum , colluviesque foret?  
Ergo quod effultus trabeâ det jura decora  
Cæsar, & invertat durus arator humum :  
Conjugio acceptum ferimus. sine conjugis usu  
Nil foret hac triplicis machina molis opus.  
Vnde sed incipiam? rerum me copia vincit :  
Denegat & teneros culta Thalia modos.  
Quis Majestatem thalami satis explicet ore ?  
Ordinis & tanti commoda mille dabit?  
Non ego par laudi, vel si mihi Mantua laurum,  
Aut daret auratam Calliopeja lyram.  
Spiritus huc ad sis vivi fons vive caloris:  
Provehe suscepti carminis orsa Deus.  
Te penes est nuptis generosam immittere tædam,  
Duret ut aeternum fædus amicitiae.  
Disimileis animos in vincula pacis amica  
Conjicis adflatus vi moderante tui.  
Nil sine perficitur recte præside quidquam:  
Te duce successu prospereiore cadit.

Quàm

Quām bene felici degebat primus in orto,  
Factus homo ad magni numinis effigiem!  
Celsius os cælo decus immortale ferebat,  
Spirabant vegetum singula membra decus.  
Nobilior siquidem, & mentis divinior haustus,  
Artifici solvit candida vota suo.  
Omnia servibant in laudem aptata Jēhovā  
Sponte suā, & grates gratus agebat homo.  
Quod præter meritum tenui de pulvere factus,  
Regia dicatur regis imago sui.  
Nil siquidem majus, nihil excellentius isto  
Inventum, vel quod continet orbis opus.  
Imperium inque feras acceperat unus Adamus,  
Principium humanæ gentis, & ille caput.  
Divaque Majestas imponere jussit eundem  
Omnibus ante oculos nomina certa feris.  
Præstigit ingenio satis hoc feliciter acri:  
Natura inspiciens semina quæque acie.  
Cunctaque vestigans animo penetralia rerum,  
Addidicit formam singula habere suam.  
Impetus unde animis, vigor & mirandus agendi,  
Omnibus in rebus, quas moderator agit.  
Nil etenim frustra molitur conditor orbis,  
Omnibus elucet gratia, forma, vigor.  
Nil quoq; tam spretum, quod non sua commoda præstet:  
Arguit artificem parva vel herba deum.  
Famque homo tollebat circūm sua lumina in orbe  
Cumque suo cernit ludere quemque pari.  
Hei mihi quid video, dicebat: bina vagantur  
Corpora, & incedunt conjuga multa solo.  
Cervus habet similem, sequiturque leona leonem:  
Villoso certat sima capella mari.  
Ludit & in pratis valido cum compare vacca,  
Gestit & huic niveum supposuisse latus.

A 3 Quid?

Quid? quoque cum terrâ communem servat amorem  
Juppiter & nuptæ depluit in gremium.  
Inde seges, florumq; aperit se gratia campo:  
Graminaque ornatu versicolore virent.  
Inde feris cibus, & cumulantur farre rubenti  
Mensa hominum: latum promit & uva merum.  
Sunt quoque materiae cum formâ Hymeneia jura:  
Quatuor in rebus prælia miscet Amor.  
Sic etiam in palmis certa argumenta loquuntur,  
Hæ sine complexu pignora nulla dabunt.  
Aspicio in lepidos pronas nutare maritos,  
Et se horum blandis implicuisse comis.  
Sunt etiam exemplo mites in amore columbae:  
Nulla quibus thalami constat adulteria.  
Femina quam placide imperio submittit? & alis  
Plaudentem tergo sustinet una virum?  
Altera in alterius rostrum inserit ora: duellum  
Ingruit: & gemitus pignus amoris habent.  
Pugnaque nec cessat, nisi sit saturata libido:  
Factaque lassato fæta marita viro.  
Plura quid enumerem? sic ulmo nubit amanti  
Vitis, & exornat frunde virente torum.  
Hæc quoque nectareas perramos explicat uvas:  
Vatibus unde animus surgit, & ingenium.  
Populus hanc ipsam desiderat arbor amatam:  
Et speculum inter se dulce caloris habent.  
Brachia namque procax per summa cacumina tendit  
Vitis: in usuræ luxuriatque penum.  
Blanda ubi temperies cali coctura vocata  
Fulserit, humorem Sole bibente parem.  
Denique nascenteis genialis spiritus herbas  
Evocat è terra matre calore suo.  
An non hæc magni sunt Numinis argumenta?  
Quid ni? conjugii singula fædus habent.

Talia

Talia dum secum sapienti mente volutat  
Primus homo: sociam vellet habere parem.  
Quandoquidem in tantâ sibi fertilitate reperta  
Nulla, sui par quæ corpore, & ingenio.  
Vnde exspectaret socialis gaudia lecti:  
Et cum qua molli luderet in gremio?  
Nec fera conveniens hominis, vel bellua tæde;  
Factus enim in sece numen habebat homo.  
Adde quod erectus contemplaretur Olympum:  
Divaque vis hujus federat ingenio.  
Concilium heic subitò Majestas ardua cogit:  
De sociâ addendâ quæstio magna agitur.  
Filius omnipotens, genitoris summa voluptas,  
Comprobat assensu grande parentis opus.  
Spiritus atque sacer genialis dives amoris,  
Promovet edictum: nymp̄ha locanda viro est.  
Protinus aggreditur Majestas diva laborem:  
Ingemit Adamum secubuisse solo.  
Immissoque gravi per membra jacentia somno,  
Fingitur è costâ nobile mentis opus.  
Sidereum os illi: par corpore: mascula voltu  
Magnifico, flavis conspicienda comis.  
Fulgentesque oculi Phœbæi sideris instar:  
Obstupuit visa virgine, & ardet homo.  
Ardet amans, visamque cupid, calor astuat intus:  
Iret in amplexus, ni pudor obliterit.  
Heic Pater omnipotens geniorum adstante coronâ  
Edidit hos magnâ cum gravitate sonos.  
Auxilium optasti vitæ, sociamque laborum,  
Quaque suis fallat tædia longa jocis.  
Factus es ô compos voti, jam diva virago  
Adstat, & in niveo corpore lumen inest.  
Hanc Deus adduco florente ætate puellam:  
Hanc sociam thalamo nuncupo, dico, tuo.

Vos

Vos igitur stabili jingo duo corpora nexu:  
Vna sit ambobus mens, socialis amor.  
Te tantum venerata virum, te sedula curet:  
Parent, atque epulas Eva ministra paret.  
Hæc etiam eximiâ faciat te prole parentem:  
Hæc merces thalami, & pignus amoris erit.  
Nascatur soboles, quæ purè numen adoret,  
Laudibus & meritum tollat ad astra decus.  
Adjuvet in partem mulier studiosa maritum:  
Sese opere illustrem comprobet effigiem.  
Cùm sociam exspectent æternæ præmia vita:  
Calorum & maneant gaudia summa Deam.  
Dixerat hæc. citharis cecinere hymeneia nuptis,  
Aligerūmque sacrum gens modulata melos.  
Addidit & dotem, patrimoniaque ampla Jehova,  
Qualia Pacloli, nec dabit unda Tagi.  
Pareat imperio, quodcung, sub athere vivit,  
Inquit, & Oceanus quidquid, & orbis habet.  
Omnia se sceptro mittant animalia vestro,  
Vestrum erit officio hæc detinuisse suo.  
Omnia florebant, & erat pulcherrimus annus:  
Aureaque optatae secula pacis erant.  
Extulerat nondum contra damnata Jehovam  
Culpa hominum, suasu Dæmonis orta, caput.  
Nec fera mors hominum validos populata lacertos,  
Non metus aut Stygiis pallor obortus aquis.  
Sponte suâ tellus Syrium fundebat Amomum,  
Vernaque temperies luce fovebat humum.  
Malobathro rupes, & colles melle fluebant:  
Sertaque virginibus myrtus odora dabat.  
Scilicet hinc nuptis decus immortale parabat,  
Quæ nullo in precio est, sancta pudicitia.  
Emicat æterni hinc Majestas diva Jehovæ,  
Dum vult mortali consuluisse gregi.

Largior

Largior hæc censu bona non memoranda ferendo,  
Quæque juvant homines, fundit amica sinu.  
Outinam in tantò mansissent flore parentes,  
Horum nobilior sors, potiorque foret.  
Ictu oculi in melius transiret lubrica vita:  
Nec dandum effossa turpe cadaver humo.  
Aspicis hinc thalami quæ sit reverentia; quove  
Auctore incæptus sit genialis Hymen.  
Non hominum inventum: verum divina potestas  
Sanctiit æterna fœdus amicitiae.  
Adfuit & coram ceu pronubus ipse creator,  
Dixit & ad nuptos candida vota novos:  
Crescite felices, extendite gentis in annos  
Spem, vestri ad nutum prospera verbacadant.  
Vtere Adam primi dum floret temporis ætas,  
Vtere, mellitum nectar & Eva dabit.  
Talia dum canerem, defertur latus ad aures  
Rumor, & optatum dicit adesse diem,  
Nympha ROTINGERO quo deducenda marito  
Altera, pensilibus nupta vehenda rotis.  
Muscoso tunc forte parens caput extulit alveo  
Pegnesus, tales solvit & ore modos:  
I, propera: bene culta habitu: redimita coronâ,  
Apta ROTINGERI nymp̄ha subire torum.  
Edita per celebri sanctarum Antistite legum:  
Non minor hoc; morum nobilitate nites.  
Quodque puellarum mores commendat honestos,  
Sedem animi pietas legit in arce tui.  
Hanc timor, & magno reverentia danda Iehovæ,  
Delapsam augusto progenuere throno.  
Namque ubi possidere animum cœlestium amantem  
Virtutes, nuptam dixeris egregiam.  
Hinc pudor, & taciti laudata modestia voltus,  
Emeritæ ante alias premia laudis habent.

B Nobilitas

Nobilitas valeat, priscaque insignia gentis,  
Si virtus aberit, somnia vana putas.  
Quilibet ante Dei lustratus lumine vivo,  
Virtutum adsuescat victor adire viam.  
Tuncq; triumphales lauros in fronte gerentem  
Portabit niveis currus eburnus equis:  
Et sua virginea sunt ornamenta corona,  
Cum pudor in niveis excubat harum animis.  
Fundamenta fides jacit ista, per omnia, verbo  
Congruit hec: contra spem generosa facit.  
Cultus & accedit voltus, auroque lacertos  
Vinciatur: aut Tyrio prodeat apta sinu.  
Nil nocet: ante animus modo donis fulgeat intus.  
Carmine tunc vatuum digna puella cani.  
Herdesiana veni, viduum subitura cubile;  
Aude aliquid: florum summa putanda tibi.  
Ut matutinis oritur pulcherrimus horis  
Lucifer, auratus conspiciendus equis:  
Talis & HERDESIANA habitu cultissima Nympha,  
Occulit inque sinu regna pudicitiae.  
Multi illam juvenes legum optavere periti,  
Quos facie eximia Norica castra vident.  
Non fuit in fatis. peregrino danda marito:  
Cujus apud proceres gloria magna foret.  
I modo vectarotis, Flavi proficisci ad aras,  
Rhetia quam Cereris gaudet opima penu.  
Timpana rauca sonant: taratantara buccina signum  
Edit, & in vulgo densa corona coit.  
Attollunt oculos, & contemplantur acute,  
Quo cultu ad volitet Marja adoperta caput.  
Ecce Röttingero quam comta adducitur uxor?  
Cynthia voltu, oculis, ore, notanda comis?  
Quantus in ornatu decor, & quam culta superbit?  
Illa vel Augusto conjugē digna premi.

Puniceo

Puniceo irradians Amethysti nupta colore,  
Vertice consertum fert diadema suo.  
Mytraque beryllis contexta in fronte coruscat:  
Illigat ornatas aurea vitta comas.  
Illa Deæ similis procedit sideris instar:  
Induit & niveas lucida gemma manus.  
Solis ut est decori viridi flos luteus horto;  
Nuper & imperii dicta Corona, rosa:  
Sic etiam ante alias nupta emicat una puellas,  
A juvenum manibus ducta, liganda viro.  
O fortunatum, cui nupta locanda maritum,  
Vrbis Atlas nostræ sustinet imperium.  
Suspicit hunc oculis trabeatâ in ueste Senatus:  
Et patriæ fulcrum Rhetia tota colit.  
Suevicus hunc equitum miratur & ordo salutat,  
Hujus & implorat nobile consilium.  
Viribus eloquii nodosa negocia solvit,  
Seque sacerdotem justitiae esse docet.  
Vive diu Antistes legum, patriamque tueri  
Perge, patrocinii vi sapiente tui.  
Altera sic conjux feliciter urat amantem:  
Hæreat & collo sarcina Marja tuo.  
Hâc fruere, & suprematibi cum venerit hora,  
Hanc moriens teneas deficiente manu.  
Hæc memini ad finis me vota audire per urbem,  
Nuper ut in vestris mænibus hospes eram.  
Itur ad augusti convexa palatia templi,  
Concentu reboant atria diva sacro.  
Christe veni: tuus en famulus se s̄istit ad aram,  
Ducitur ad sponsi Nympha decora latus.  
Iamque sacer fulgens venerandâ in ueste sacerdos,  
Solvit in hoc coram concilio ora modo:

B 2 Omina

Omina non certe sunt irrita. quisque favet,  
Quisquis adest linguis, sive vir, aut mulier.  
Sæpius audistis Majestas quanta feratur  
Conjugii, & quonam pacta ineunda modo.  
Vota prius faciat, Dominumque exoret amicam,  
Cum quâ conservet remque domumq; suam.  
Scilicet à Domino lectissima provenit uxor:  
Carius argento, Chrysolythoque bonum.  
Hæc latere adificata viri: vir nosset ut Euan  
Dimidium eximium corporis esse sui.  
Consortemque toris statuens, effecit honorum  
Participem, & quidquid machina tota videt.  
Divitiae Oceanidos, & cultissima tellus:  
Alituum imperium solus habebat homo.  
Ordinis & tanti præstantia fulget in isthoc,  
Quod non fortuitò fæmina virque cubent.  
Sanciuit hoc fædus Deus immortalis in horto:  
Inque manum sociam tradidit ipse viri.  
Carnem unam vos voce Dei nunc consecro, dextras  
Jungite, vos intersint rata pacta precor.  
Annulus ex auro fidei sit pignus, & arra;  
Quem datis, æternæ testis amicitiae.  
Iamque manus prensans, tu Christe hoc fædus amicum  
Numine firmato nobiliore tuo.  
Sint caro & una precor lectissima corpora: gentem  
Sospitet è vobis gratia diva novam.  
Sic etiam Christus sponsam divinxit amore,  
Cum lueret mundi victimæ cæsa nefas:  
Sacramento fide multos squalorem fluentem  
Gentem hominum, non vult deseruisse oculum.  
Hujus & exemplo vos inter mutuus ardor  
Adsit, & implicitos molliter adflet Amor.  
Nullaque tam blandum solvat querimonia nexum,  
Ærumnaque graves, difficilisque labor.

Gaudia

Gaudia sint vobis communia: luctus & idem:  
Namque Deus laetiis miscet amaritatem.  
Nomen & admoneat sortis te Marja fagacis  
Sponsa, voluptatum guttula rara venit.  
Continuò excipiunt tristes in amore dolores  
Quos Deus optatum collocat in thalamum.  
Sed satis imperium adsuescas modò ferre mariti,  
Indicat hoc capitis textile flammeolum.  
Ille tuos mores, vicia & muliebria in horas,  
No verit ut conjux dissimulare bonus.  
Vota cadunt, utinam rata sint tua verba Sacerdos,  
Longaque conjugii vincula portet Amor.  
Vincula quæ maneant, donec mors ruperit illa,  
Cum venit incurvo cana senecta pede.  
Latitiis tu CHRISTE fave, prolemque ministra,  
Ludat & ante horum turba jocosa pedes.  
Assensere viri, matronarumque corona,  
Et nymphæ ornatae tempora frunde novâ.  
Jam Chorus auditur, canisque sonantibus areis  
Dissimileis edit fistula tacta modos.  
Respondent iterum pueri, ingeminantque canentum  
Davidis ut fas est carmina sancta chorus.  
O fortunatum nimium, quem cura Jehovæ  
Detinet, & soli velle placere labor.  
Quem juvat in cœlum spem ponere rebus in arctis,  
Et vocat auxilium, præsidiumque Deum.  
Non huic ambitio, perfusaque gloria fuso,  
Adversam cœlo suadet adire viam.  
Sed se se cohibens, gemmanteis deprimit alas,  
Contrahit ingenii velaminora sui.  
Spemque locans cœlo, se Christo credit amanti,  
Mente humili, donec cesserit exuvias.  
Implorandus enim Deus, & sic sponte sequentur  
Res, domus, ac conjux optuma delicium.

*Sig, cadant prater mentem arbitriumque molesta,  
Proderit excelso pectore ferre malum.  
Plurima cottidie eveniunt satis aspera justo,  
Durius exercet quos sacer urget amor.  
At generosa fides se tempore subjicit omni,  
Vincit in ærumnis: spes sua damna levat.  
Nec satis immiteis ventos audire cubanti,  
Et Marjam tepido continuuisse sinu:  
Surgendum thalamo, properandum ad pensa diurnæ,  
Manè ubi Sol niveis aureus ibit equis.  
Tedare consilia, & legum responsa necessum,  
Causarum & nodos explicuisse graveis.  
Mane salutabit te copia magna clientum,  
Eloquii poscent in sua jura decus.  
His aderis præstò: pro viribus ora resolves,  
Quidve velit rectum, quid ratio aqua dabis.  
Fortunatus eris, si fido Antistitis usus  
Munere, non captans munera, jus dederis.  
Absit avaritia monstrum, dolus omnis & absit,  
Justitia servum convenit esse probum.  
Quid juvat ingentem cælo sustollere molem,  
Sanguine si crudo pasceris, illa ruet.  
Sudandum nobis, sed honesto in carcere vita,  
Gloria sic laudum meta laboris erit.  
Vtile in hoc ævo perferre pericula vita,  
Sortis & ambiguas sustinuisse vices.  
Macte tuâ virtute, animum ad majora parato,  
Sic vehet antemnas aura secunda tuas.  
Omnibus ærumnis magnum solamen habebis,  
Si sanctum hoc vita noveris esse genus.  
Qualia sint nuptæ præconia, sive marita,  
Davidis aurata personat Oda lyra.  
Mirja fave numeris, quos dictat spiritus ille,  
Adflatu cuius pectora nostra calent.*

*Quis*

Quis fragilem matrum hunc sexum non novit, & harū  
Ingenia? at vitium dissimulare pium.  
Dic mihi quis nostri vixit sine crimine vitam?  
Nemo inquam: ante Deum nil nisi culpa sumus.  
Illa mihi ante alias regina vocanda puellas,  
Cui pia mens, cui sit sancta pudicitia.  
Quam Deus adflavit meliori lumine verbi,  
Omnibus hæc Arabum est anteferenda opibus.  
Sed quota nympharum cætu reperitur in ampio?  
Hæc Phœnix ipsa rarior esse solet.  
Sunt tamen egregie matres, nymphæque reperta:  
Quarum virtutes emeruere decus.  
Vitis ut orbatum foliis complexa maritum,  
Ornat, honoratis luxuriosa comis:  
Tundit & humorem preciosum e palmite, vatum  
Vnde vigor ludit carmina pura lyrâ.  
Præbet & optatam fessis erroribus umbram,  
Sol ubi ferventis terga leonis adit.  
Talis & est uxor, solamen dulce mariti:  
Præcipue illustris dote pudicitia.  
Excipit hæc fessum redeuntem à mole laborum,  
Et dat suaviolum dulcius Ambrosiâ.  
Apparat illa dapes, quas horto insevit inemtas:  
Promit & arcanis Cæcuba vina cadis.  
Accubat ad latus, & mellitâ fronte sedentem  
Adfatur, lepidos & movet ore sales.  
Hæc operata domi non ocia turpia captat:  
Deducit niveâ stamina longa manu.  
Imperat hunc eadem famula exercere laborem,  
Ne turpi pereat desidia ipsa domi.  
Instar & hæc oleæ matrona industria natos  
Vbere pendentes potat, alitque suos.  
Educat has veluti florentes sedula olivas  
Cum sedet ad mensæ garrula turbat caput.

Atque

Atque orare docet, capita & recitare salutis  
Aurea, demonstrans quæ sit ad astra via.  
Omnis in hoc virtus præcepto, errata fateri,  
Quærere & in Christi volnere delicum.  
Præbuit utque Olea Romana potentia honorem,  
Matronam frugis sic celebrare decet.  
Si modò präclarâ vita pietate magistrâ,  
Imbuat, ut fas est, pignora lecta domi.  
Quid juvat humanos ceris effingere voltus?  
Signaque Niliacis sculpere marmoribus?  
Quid juvat in templis insignia ponere avorum,  
Ductaque de vivis corpora imaginibus?  
Si tibi par animo, & respondeat ore propago,  
Cui tradas tua post funeralumen, ova.  
Vivus in hac vivis, nati in virtute superstes,  
Gloria post mortem vivit honore sui.  
Sic Deus exornat donis præstantibus illum;  
Qui didicit purâ fidere mente Deo.  
Adfluit his opibus thalamo donatus amico,  
Muneraque hæc ampio tollit honore Dei.  
Et si paupertas, vel morbi injuria surgat,  
Sive domum infestent noxia damnatuam:  
Vertere sive lares cogaris, & hospitate tecta  
Linquere, in exilio spes tibi semper adest.  
Adstat & huic numen, tempestatemque serenat  
Post tristeis hiemes latior aura redit.  
Vivite concordes per amico in fædere lecti,  
Qui nunc à Christo poscritis auxilium.  
Ipse in concilio degens, cætuque suorum,  
Adpluat optatis gaudia mille Deus.  
Vota R O T I N G E R E hac prædulcia mente repone,  
Sospitet & thalamum gratia diva tuum.  
Provehat auspiciis, fortunet & orgia lata,  
(Daveniam huic voci) dives amore Deus.

Te

Te jubeo à Christo veram expectare salutem,  
In cuius divo corpore, diva salus.  
Gratia inexhausta thronus, & tutissimum asylum:  
Hunc si possideas, omnia dives habes.  
At dicas, quenam Solymi sunt aurea castri  
Dona, quibus te vult accumulare Deus?  
Conjugibus castis sacer adstat honore Jehova:  
Ut tui vivant in statione suâ.  
Ille throno effultos proceres, regesque tuetur;  
Iura dat, & leges, justitiaeque forum.  
Scilicet hac vitem propter dat, propter olivas,  
Quas tu de verâ religione doces.  
Quisque suæ vivens rex est, & quisque sacerdos  
Cum natis faciat publica vota, domi.  
Proque magistratu puro invocet ore Jehovam,  
Atque lubens census pendat, onusque ferat.  
Nam cavet imperio rex, invigilatque saluti,  
Quilibet ut civis tempora pacis agat.  
Ergo Magistratum divo veneremur honore,  
Aurea cum nobis commoda, totque vehat.  
Sint etiam vobis nati, se extendat in annos  
Progenies, serie longa videnda suâ.  
Munera contingent vobis, qui statis ad aras,  
Floribus evincti tempora comta novis.  
Pax adsit, cedat Mars improbus; exsulet oris  
Tisiphone: cessent jurgia, & ira procul.  
Optima pax adsit seros visura nepotes,  
Exsulet & nostro Mars ferus orbe procul.  
Nulla salus bello, te Christe exposcimus omnes:  
Christe fave nuptis. carmina jam sileant.  
Sacrorum hic finis. jam lumina summa canenda,  
Et matronarum casta corona lyrâ.  
Sed sua quemque animi virtus commendet, honore  
Mi satis est nuptos condecorare suo.

C Jamque

Famque domum redeunt, ineunt convivia opima:  
Et Jovis excipitur turba vocata eputo.  
Jam citharae, lituique sonant, & cornu rauca,  
Latitiaeque edit tibia docta modos.  
Bacchus adest, hunc quisque vocat, cyathosque coronat:  
Proque suæ nymphæ pocula salute bibit.  
Crateras statuunt famuli pro more: Lyæus  
Tormentum multis, dicere vera jubet.  
Vota puellarum choreæ, plaususque juventæ:  
Omnis in his nymphis cura laborque sedet.  
Auditur gemitus, ducunt suspiria ab imo,  
Et juvenem affari quælibet ardet amans.  
Natus & occultè Veneris sua spicula mittit,  
Auctus ubi à vinis ignis, in igne furit.  
Fulgentes oculos reminiscitur, ossa calescunt:  
Virginis amplexus optat habere suæ.  
Dicit & heic potus convicia dura puellæ;  
Post modò, quæ factus sobrius ille negat.  
Me potius citharae oblectent, & Musica vatem,  
Eruta ubi è sacris verba decenter eunt.  
Latitiam inque suam rapiant dulcedine vocum,  
Hæc mihi præ vino Musica sola placet.  
Ad choreas se nupta parat: comitantur eunt  
Hanc nymphæ, fingunt gaudia mente suâ.  
Concentum instituunt modulando ex arte magistri,  
Corporaque ad numeros docta movere docent.  
Primus & exultat jam sponsus in ordine: primæ  
Sponsa viri sequitur prensa modesta manu.  
Hos alii juvenes, matronarumque corona  
In sequitur, pedibus concutiturque solum.  
Heic sua castra Venus, sua habet spectacula amica:  
Sunt & quæ tacito vulnera corde gerant.  
Quælibet & palmam choreæ sibi vendicat uni,  
Spectarique labor se potiore loco,

Æmula-

Æmulaque alterius sorti invidet, una viderè  
Ostentans formam, divitiasque, cupit.  
Namque rubens nitido Vesper procedit Olympo,  
Et curanda cibo corpora fessa monet.  
Hora Rötингere tibi gratiōr omnibus horis  
Advolat: optatum demete Parthenium.  
Vtere sorte tuā, nova cum tibi messis in herbā,  
Virginis & licitæ, quas serit hortus, opes.  
Non opus est Scolymo, neq; torpent corporis artus:  
Floret adhuc membris lata juventa tuis.  
Cedat & amissum Anthriscus revocare vigorem  
Vtilis: effæto convenit ille seni.  
Vtile sed sponsæ medicamen Eryngion adsit:  
Horti cùm vitium senserit ægrasui.  
Tunc vigor, & roseus color inficit ora puellæ,  
Discedit macies, gilvus in ore color.  
Latius ut pepones recreantur fonte loquaci,  
Atque apio pisces restituuntur aquis:  
Corpoſe ſic languens deſiderat uxor amantem,  
Optat & in molli delituisse toro.  
Accipe delicias oculorum, amplectere nuptam:  
Sola puellarum pectoris ardor erit.  
Consului Astronomum V Vinclerum nuper ad urbem,  
Dividit hanc partim Coccarus uber aquis.  
Myrtea ſerta gerat, respondit is, omnia fausta  
Promittunt hilari ſidera amicato.  
Sanguine non conſtat victoria: basia tantum  
Pugna amat, & Veneris grata in amore vices.  
Oſcula & amplexus, conſeſſaque gaudia lecti,  
Sed tamen erratum transiluſſe modum.  
Contemplans ergo radiania ſidera celi  
Invenio has ſedes celi habuiffe faces.  
Ante ſuos Titan quam proferet axe jugaleis,  
Nobilis Aſtræ & ſpica orietur aquis.

Cynthiaque Alcidæ capiti vicina, dolebat  
Falciferum in geminos sceptra tenere senem.  
Juppiter ad lœvam serpentis colla prementis  
Stabit, & os terris exseret auricomum.  
Proximus & Marti Jovis armiger ales aduncus,  
Herculis invadet Cypris amica caput.  
Mercuriusque sagax oritur cum lance tepente,  
Mane ubi Sol niveis astra aditurus equis.  
Hæc facies cæli, cum festa Hymeneia ad Aegrum  
Syndicus in patrio sponsus haberet agro.  
Plura loquituro mihi surripit una sororum  
Aonidum calamum splendida Calliope.  
Desine convivas, inquit, celebrare poëta,  
Quos comites habuit sponsa decora via.  
Quid facerem, affinis cultissime, sponte remisi,  
Cùm vivam à studiis mollibus exsul, opus.  
Qualia cunque tamen cecini, tu fronte serena  
Accipe, cum Marja tempus in omne vale.

F I N I S.

Ad ardearum nidos scriptum  
cis Iaxum Franciæ orientalis.



Sebastia-

Sebastiano Rötingero I. V. D. & ordinis  
Eq. in Sueviâ Advocate &c. secundo  
marito S. D.

N*I* te plus oculis Sebastiane  
Vates diligerem, nihil moveret  
Ad ludendum aliquid, vel ipse frater,  
Sed me candor amabilis, leposque  
Mellitus tuus incitavit ipsum,  
Ac promptum officium mihi probatum  
Nuper, cum peterem Lycum nivosum.  
Nostrum est solvere gratias perenneis,  
Et Musâ tibi gratulari amico.  
Ducturo lepidam in cubile nympham.  
Indignum viduas jacere noctes  
Legum Antistitem, ocellulumque gentis.  
Verum perfer, & hanc moram vorato.  
Fulgebunt tibi candidi marito  
Soles namque novo, applicansque collum  
Mellitum os, oculosque suaviata,  
Te Marja excipiet, levabit omneis  
Hæc curas animi, flagrans odore  
Mosci, Malobathroque, seu marino  
Rore innexa comas, rosisque odoris.  
Quis te lætior est futurus? & quis  
Fortunatior est Sebastiano?  
Quando purpureo ore basiando  
Compellabit herum suum, ac loquetur;  
Huic uni Domino usque serviamus.  
Tu contrâ, meâ lux, mei lepores,  
Meæ deliciæ, toro illigati  
Summi voce Dei, approbantis igneis  
Hos nostros sine felle, sive rixâ  
Vivamus. Siquidem profecta læto

C 3

Hæc

Hæc tæda auspicio, sacroque ritu.  
Tales novimus, & locutiones  
Plus curare Deum, libidinosæ  
Quàm Vestæ, ac Monachi preces cacatas,  
Nocturnumque ululatum in abditarum  
Claustris ædium, ehei, liquet, satisque  
Constat, quid faciant leves Cynoedi  
Papæ molliculi, leves, amurca,  
Ac vappa. Omnibus angulis lupanar  
Horum conspicias sacro recessu.  
Vulgo mecha latus patris notati  
Tonsurâ premit, accubans, jocosque  
Adflat. vidi oculis, notavi, & hosce  
Nuper. non referam locum. Suitæ  
Illeic imperium in Ducem magistri  
Exercent. valeat sed ista pestis.  
Tu vatis numeros venustiores  
Hos voltu excipito sereniori.  
Casto vivite lectulo, Iehova  
Fortunante, animis ametis inter  
Vos puris, seges osculationum  
Surgat cottidie. puellulusque  
Tandem prodeat è sinu pudico,  
Te blando ore patrem Sebastianum,  
Mellitis oculis, lepore, risu,  
Ac voltu referat, puellulæque  
Marjam purpureo ore & elegantes  
Puris moribus exprimant parentem.  
Vos qui viderit, & notabit ambo,  
Dicat secum animo benè ominoso:  
Quis ullos homines beatiores  
Vidit, quis Venerem auspicatiorem?


Nonis Octob. A. C. N.  
619 19 xci.











*Fraxinei Gothani*  
coronati:

EGIA

tia & fructibus S. Con-  
tentâ paraphrasi psal-  
xxviii.

# ONOREM

# JANI ROE

# D. EQVESTRIS

REVIA ADVOCATI,

ssimæ ad Aras Flavianas

i clarissimi & di-  
tissimi :

65 Kf. 130

# CHRISTO- DESIANI, PRI-

A M I N R E P V B. N O-  
niæ oculo Iurisconsulti,  
e, virginis lectif-  
fimæ:

# ELEBRANTIVM

A.C.N. M D XCI.

*ortlingæ.*



# LIBERGAE.

## graphica Gerlachiana.